

441

439

445

435

450

430

490

390

340

Ende

Anfang

426

tribus diebus resolvuntur, quae in aliis coometeriis vix in
XVIII. annis ad plenum consumuntur.

Porro de triginta denariis legi quandam longam et ver-
bosam historiam, quae dicit, quod Thare, pater Abrahae, eos
ad imperium Nini regis cuderit, cum aliis ejusdem percussurae,
et Abraham eos accipiens in terram hanc detulit, a quo per
successum Ismaeli sunt traditi, numquam ab invicem divisi.
Hos Ismaelitae dederunt filiis Jacob pro Joseph fratre suo,
quem vendiderant eis, fratres autem eos in Aegyptum porta-
verunt, pro frumento exponentes eos. Et de Aegypto trans-
missi sunt in Saba regionem pro mercimoniis. Hos regina
Saba obtulit Salomoni inter alia munera, qui eos in gazophy-
lacium templi Domini injecit; hos Nabuchodonosor cum aliis
templi thesauris tulit, et Godoliae eos pro munere tradidit, a
quo in regnum Nubiae sunt transmissi. Nato autem Domino
in Bethlehem Melchior rex Nubiae obtulit eos Domino, quos
beata Virgo et Joseph cum pueru fugientes in deserto perdi-
derunt, et quidam pastor eos reperiens 30 annis servavit.
Hic pastor audiens famam miraculorum Domini Jesu venit
infirmus in Jerusalem, et sanitatem ab eo recepta obtulit **XXX**
Domino Jesu. Qui dum eos accipere nollet, dedit eos templi
sacerdotibus, qui eos in corbanam miserunt. Vendito autem
Domino Judae eos tradiderunt, qui poenitentia ductus projectit
eos in templum, quos accipientes sacerdotes hunc agrum pro
eis emerunt, et hoc pacto dispersi sunt ab invicem per mun-
dum; de quibus in Rhodo unum vidi, cuius figuram Johannes
Tucher de Nüremberg acceptit, (**B**) et modulo facto plumbo
fudit aequales argenteo, et suis amicit tradidit. Nam dum
anno 1485 essemus congregati in Nüremberg ad capitulum
provinciale celebrandum, dedit praedictus vir cuilibet fratri
unum de suis denariis. Quantitas est sicut blaphordorum
crucis, in una parte est facies humana, in alia est lilium.
Superscriptio vero fuit quidem, sed videri non potest. Et
tantum de monte Acheldama.

